

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo die D. Bartholomaei apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

sunt; qui salutem suam non quærunt in operibus: sed unice propitiatorio sacrificio Christi per fidem innituntur, quod præstitit pro peccatis totius mundi, 2. Joh. 2. v. 2. & hoc ipso consummavit in sempiternum eos, qui sanctificantur, Hebr. 10. v. 14.

Si hoc ita feceritis nunquam confun-

demini, omnia enim possibilia sunt credenti, Marc. 9. v. 23. Die novissimo audietis ex ore ejus suavissimum illud Venite benedicti patris mei. Largiatur id nobis Deus omnibus, Amen.

In festo die D. Bartholomæi Apostoli.

Evangelium Luc. 22. v. 24. --- 30.

EXORDIUM.

Postquam Judæ cum nuru sua Thamar illicite concubisset, instante partu apparuerunt gemini in utero ejus. Atque in ipsa effusione infantium unus protulit manum, in qua oblectrix ligavit coccinum, dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egressus est alter, dixitq; mulier: quare rupisti propter te rupturam? & ob hanc causam vocavit nomen ejus Pharah, i. e. divisio, diraptor. Alterum verò appellavit Zarah, i. e. oriens, quia prius se ostenderat, Gen. 38. v. 13, 28.

Hæc mystice explicabimus.

Nos omnes Dilecti! ejusmodi *meretricem in sinu nostro habemus*, quæ est carnalis concupiscentia, militans adversus animam, 1. Petr. 2. v. 11. hæc, quando à Diabolo vitatur, non modo gemellos, sed multos filios & filias in lucem edit. Sicut in *Vitis Patrum* refertur, quod Diabolus ali-
quando constituerit uxorem ducere: & postquam ei sponsa obtigerit, nomine Impietas, se cum illa matrimonium iniis-

se, & septem filias genuisse, quas deinde per mundum distribuerit, hominibusque cloaverit.

Primam appellatam esse *Arrogantiam*, quam Nobilitati & cæteris Magnatibus nuptum dederit: illi enim plerumque abutuntur potentiâ suâ, dicentes: Ego sum, & extra me non est alius amplius, Sophon. 2. v. ult.

Alteram vocatam *Avaritiam*, negotiatoribus & mercatoribus eam despondisse, qui propter pecunias delinquant, & oculos suos avertunt, Sir. 27. v. 1.

Tertiam, *Falsitatem* dictam, junxisse Rusticis: licet enim hoc vitium aliis quoque familiare sit: attamen rusticorum proprium in quarto modo est, qui ab ipsis non decipitur, est quod gratuletur sibi, domus eorum plena dolo, Jer. 5. v. 27.

Quartam, *Invidiam* nominatam, adjunxisse Mechanicis, inter quos maximè frequens est: Contemplatus sum omnes labores & industrias operum, animadverti patere invidiæ proximi, Eccl. 4. v. 4.

Dddd 3;

Quin-

Quintam, nomine *Hypocrisis*, locasse Clericis, de quibus Christus ait, quod veniant in vestimentis ovium, intus autem sint lupi rapaces, Matth. 7. v. 15.

Hexagrammum *sextam* insignitam *Superbiam*, desponsam in *Julia* muliere, à quo *Superbia* in omnes homines pervasit, Mulier enim seducta in prævaricatione fuit, 2. Timoth. 2. v. 14.

Septimam & natam *minimam* filiam appellatam *Scortationem*, secum illum, velut carissimam, retinuisse, omnibusque prostituisse.

Quamvis igitur hoc diaboli connubium & elocatio filiorum ejus in genere, toti humano generi, magno incommodo est: at tamen *Superbia* omnibus *palmas præripit*, & perumpit, sicut *Pharah* fratri suo *Zarah* prævaluit, ut manum retrahere, illumque priorem emittere cogere. *Superbia* enim abscondi nequit, sed ex abundantia cordis os loquitur, Matth. 12. v. 34. id eod non incommodè *Pharah*, h. e. *Turbatrix* appellari potest, quia omnia in omnibus Hierarchiis turbat, juxta Poetam:

Inquinat egregios adjuncta *superbia* mores.

Hoc respectu facilè conjicere possumus, quid de eo sentiendum, quod Apostoli de primatu altercari voluerint, eo tempore, cum Dominus & Magister eorum mortem meditaretur: Nimirum Diabolus, qui Rex Superborum est, Job. 41. v. 25. filiam suam *Superbiam* illis desponsare voluit: & nisi Christus se interponens conjugium illud prohibuisset, connubium nocentissimum contraxissent, & in aeternum exitium præcipitassent. Contritionem enim præcedit *superbia*, Prov. 16. v. 18.

Nos absque longiori præambulo ad ipsam Evangelii tractationem nos accingimus, consideraturi ex eodem:

- I. *Ἀποστολολογία*, sive *notitiam nostram*.
II. *Χριστολογία*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegetis.

Ecce, inter servos ejus non manserunt fideles, & in Angelis suis deprehensa est *stultitia*, ait cum admiratione pius Job c. 4. v. 18. Quod non inconcinne Apostolis, qui pro Christo legatione funguntur, applicari potest, 2. Cor. 5. v. 20.

Sicuti autem non est homo, qui non peccet, 1. Reg. 8. v. 46. Sic nec Apostoli immunes à peccato fuerunt: sed Dominus quandoque magnam stultitiam in eis deprehendit. *Petrus* disvasit Domino passionem, Matth. 16. v. 23. & tempore passionis Dominum abnegavit, Matth. 26. vers. 70. seqq.

Jacobus & *Johannes* vindictæ cupiditate perciti, Samaritanos igne cœlitus deferendo extinctos voluerunt, quia Christo hospitium denegarant, Luc. 9. v. 54. ambitiosi quoque erant, ideoque primatum in regno Christi, quod sibi imaginabantur terreno, desiderarunt, Matth. 20. v. 21.

Thomas peccavit per incredulitatem, Joh. 20. v. 25. *Philippus* & *Andreas* per diffidentiam, Joh. 6. v. 7. Alii alio modo deliquerunt; in universum verò omnes ambitione incensi, gloriam mundanam, in regno, quod somniarunt, Christi terreno affectarunt, hinc in prælecto Evangelio refertur

fertur, quod contentio inter eos facta sit, quis eorum videretur esse major.

Ad Ἀποστολογίαν sive notitiam nostri perveniamus, si spectemus:

I. *Discordans collegium.* Erant illi fratres & Collegæ, qui unâ vocatione gaudebant, & alios ut concordia studerent, admonere debebant. Attamen Diabolo morem gerunt, invidia se invicem prosequendo, & laborando in id, ne alter sibi præferatur, id non parum afflictaffe Christum censemus, qui jam mortis meditationibus occupatus erat, nec stultitiam hanc ab Apostolis expectasset: præsertim quia modo de fraterna caritate & concordia servanda eos admonuerat, & sacram cœnam cum iisdem celebraverat, ubi corpore & sanguine Dominico cibati erant, quæ meritò illis vinculum caritatis esse debuisset, ut Augustinus loquitur.

Quilibet hic in examen descendat secum, quomodo affectus sit in fratrem & proximum suum, utrum amor reciprocus inter eos sit, & an quisque animo sincero sit, sicut id ipsa æquitas requirit.

Apostoli hoc ipso graviter deliquerunt, quod ejusmodi discordiam inter se aluerunt, idè nos exemplo illorum cautius mercari discamus, cum non ad imitationem, sed admonitionem nostram scriptum sit, 1. Cor. 10. vers. 11.

O quam bonum & quam jucundum est, fratres habitare in unum (de collegis idem sentiendum est) illic mandavit Dominus benedictionem & vitam, usque in seculum, Psal. 133. v. 1. ult.

Hoc probè intellexit Constantinus M. idè in Concilio Niceno ad trecentos & octodecim Episcopos, qui ibi congregati erant, ad fraternam concordiam hortando

hæc verba fecit: *Intestina seditio in Ecclesia Dei conflata, multo plus molestiarum & acerbitalis, quam quodvis bellum in se complectitur.* Nam, ut Poëta ait:

Altercando veritas amittitur.

Ne dicam, de nefando scandalo, quod apud infideles oboriri solet, quando vident, eos, qui ejusdem confessionis sunt, modò in hoc modò in alio fidei articulo controversias agitare, quod hodie nimis invaluit, cum non levi simpliciorum scandalo. Melius commendantur primi Christiani, quorum unum cor & una anima erat, Act. 4. v. 32.

Veri Christiani idem faciant, necesse est: Unus enim Dominus, una fides, unum baptisma, Eph. 4. v. 3. 6.

Quando *dua fides* non concordant in instrumento Mulico, omnimoda concertus dissonantia auditur.

Quando *terra Soli & luna se interponit*, eclipsis oritur. Quando una *rotula in horologio* non movetur, omnes consistunt. Sic in omnibus omninò statibus ex discordia multa oriuntur incommoda. Si invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem consumamini, Gal. 5. v. 15.

Respiciamus exemplum Abraham, quanto discordiam odio persecutus fuerit? Gen. 13. v. 8. Qui contrarium agit, non ex Deo, sed Diabolo est, & cum Satanâ partem habebit eo loco, ubi damnati sicut oves in inferno positi erunt, Psalm. 49. v. 15. requiem non habentes die ac nocte; Apoc. 14. v. 11.

II. *Exortum litigium*, quod in præsentia Domini & Magistri sui, magnâ animi & vocis contentione foverunt, adè, ut facile, ni Servator se interposuisset, à ver-

bis

bis ad verbera res devenire poterit. In Gr. vox est, quæ pertinacem contentionis prurimum, sive ambitiosam vincendi cupiditatem ex animo concitato ortam, & verbis dicacibus inter rixosos continuatam, significat.

Hic explora cor atque animum tuum, utrum & ipse libidine rixandi agiteris, aut concordia studiosus sis? Sicut enim carbones ad prunas, & ligna ad ignem; sic homo litigiosus accendit rixas, Prov. 26. v. 21.

Hodie ferè nihil familiare magis est in omnibus Hierarchiis, quàm discordia, lites, altercationes & jurgia.

Rixatores inveniuntur in Choro, ubi verbi præcones privatis affectibus indulgentes sæpè ex suggestu propalant, quod melius reticuisissent, officiumque in operibus injuriæ agunt, ut Siracides loquitur, cap. 10. vers. 6.

Rixatores in Foro, qui collegas pacificos impugnant gratis, Psal. 120. v. ult.

Rixatores in Tòro, Maritus est sicut leo in domo suâ, Sir. 4. v. 35. rixosa mulier tecta jugiter perstillantia, Prov. 19. v. 13. Hic non mirum est, si benedictio expiret, & omnia pessum eant. Ubi enim zelus & contentio, ibi confusio, & omne opus pravum, Jac. 3. vers. 16.

Quinimò quandoque litigia inter fratres exurgunt, sicut Cain adversus fratrem suum Abel confurrexit & interfecit eum. Hinc Salomo: Frater injuriâ affectus, urbs quàm munita, Prov. 18. v. 19. h. e. ut Lutherus in margine exponit, urbs munita facilius expugnari potest, quàm frater reconciliari.

Nec minus inter famulitium jurgia feruntur quandoq; quando in negotiis Domini occupati esse debent, sicut Christus si-

mile assert, de servo, qui inebriatus ceperit percutere servos & ancillas, Matth. 12. vers. 46.

Quanto vulgaritatis hoc vitium in mundo est, tantò magis nos operam dare debemus, ne & nos huic seculo conformemur, Rom. 12. v. 2. qui totus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. contentiones enim, rixæ, æmulationes, iræ, dissensiones opera carnis sunt, qui talia agunt, regnum Dei non hæreditabunt, Gal. 5. v. 20.

Quod si igitur sapias, mi Christiane! abstino te à lite, & minues peccata, Sir. 28. v. 10. dona illi, si adversum aliquem habes querelam, sicut & Dominus donavit tibi, Col. 3. v. 13. Omnia in meliorem partem interpretare, & non facile damnum incurres. Verbum dulce multiplicat amicos, Sir. 6. vers. 5.

III. *Affectatum dominium*. Facta enim est inter eos contentio, quis eorum videretur esse major. Hinc colligere est, quid præcipuè illi intenderint, nempe primatum, sive proëdriam in regno putativo terreno Christi. Hæc nefanda erat ambitio, quam in piscatoribus hisce nunquam tibi persuasisses. Verùm rectè hinc applicatur illud Poëtæ:

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum.

Quia enim Apostoli à Christo super alios evecti & ad hanc dignitatem vocati erant, ut essent ipsi testes in Hierusalem, & in omni Judæa & Samaria, usque ad ultimum terræ, Act. 1. v. 8. hinc adeo efferebatur, ut semper altiora meditarentur, & quilibet vereretur, ne, si Christus regnum suum indicaret, alius ipsi palmam præriperet.

Hic proba te, mi Christiane! annon & ipse

ipse nonnunquam gloria mundana inhiaveris, aliisq; prapom gestias?

Hoc nimis familiare inter homines est, & sæpè fit ut quis humilis habeatur, cujus animus ambitione & superbiâ scatet, & turgēt. Hinc cum Diogenes Platonis pallium calcaret, inquit: *Calco hic fastum Platonis*, non injuriâ respondit Plato: *Calcas, sed alio fastu*, probè siquidem animadvertēbat, Diogenem ex ambitione id facere.

Pari modo Socrates Antisthenis vanitatem & superbiam arguit, pallio lacerato incedentis: *Per fissuram pallii tui, video superbiam & vanitatem tuam.*

Hoc ita inter Gentiles factum est; sed & inter Christianos non desunt, qui in humilitate & religione Angelorum inflati incedant, Col. 2. v. 18. sicut Christus de Iharisæis dicit, quod amaverint primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro. Matth. 23. v. 6, 7.

Nos fugiamus hoc vitium. Dicitur quidem: Cui honorem, honorem, Rom. 13. v. 7. Sed non minus scriptum est: Quantò magnus es, humilia te in omnibus, Sir. 3. v. 2.

Christus Dominus & Magister noster est, Matth. 23. v. 10. Joh. 13. v. 13. Quodli genuini ejus discipuli esse velimus, nos quoque in humilitate eum imitari tene-mur. Hoc sentite in vobis, quod & in Jesu Christo, Phil. 2. v. 5. seqq.

Nullam equidem causam habemus, ut multum superbiamus, ex uno etenim luto finxit præcordia Titan, ita ut nemo ex Regibus aliud habeat nativitatis initium. Unus enim introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus, Sap. 7. v. 5. 6. Quin & do-

na, quibus Deus exornavit nos, non nobis propria sunt, sed Dei & à Deo cadem accepimus; & licet putemus, nos omnes alios antecellere, semper tamen invenitur, qui nos si non superet, tamen æquet. Re-ctè Mantuanus:

-- Deus omnia non dat
Omnibus, ut nemo sibi sit satis, in-
digeatq;

Alter ope alterius.

Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo: brevis in volatilibus stapis, & initium dulcoris habet fructus illius, Sir. 11. v. 2.

Hoc respectu semper meminerimus: Vos autem non sic. *Dedecus & detrimen-tum comites superbiae*, Ludovicus IX. Rex Galliaë dixit.

Quis igitur nocivos hosce hospites in corde suo foveret, & non potius, quò securior sit, humilitatem amplecteretur?

Si viæ minus securæ sunt, & vir aliquis honestus, qui aliquamdiu in peregrinatione vitam degit, reditum in patriam medita-tur, sæpè mutatis vestibus aliam quasi per-sonam induit, imò quandoque in mendico-rum comitatu incedit, quo securitate fruatur, & pecuniam suam in portum perferre possit.

Quantò magis Christianus, qui in hac terra velut viator est, & hic non habet per-manentem civitatem, sed futuram patriam inquirat, Hebr. 13. v. 13. quia tam ex verbo Dei, quàm experientia novit, viam minus tutam esse, ratione Diaboli, qui ambitione & fastu multa millia præcipitat, humilitati studeat, quo indemnis evadere, & dona in portum perferre queat, quæ per fidem in corde suo conservat, initium enim omnis

Eeee

peccati

peccati est superbia, Sir. 10. v. 15. Humilitas verò mater est virtutum omnium, teste Augustino, quæ gratiam & vitam adfert, 1. Petr. 5. v. 5.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *ἡμεῖς ὡς ἰσχυροὶ*, sive noticiam Christi contemplaturi. Hic nobis in Evangelio præfente commendatur:

1. *Tanquam status Ecclesiastici & Politici Discriminator*, inquit enim ad Discipulos: Reges gentium dominantur, vos autem non sic.

Utrumque statum Deus ordinavit, hoc extra dubium est: habent verò certos suos limites & cancellos, per quos alter ab altero distinguitur.

1. *Ratione domiciliorum*. Reges gentium, sive Magnates hujus terræ habitant in affabrè exstructis, ubi, sicut & in Curiis suis, jus suum exercent, & verbi præcones velut subditi coram iis comparare tenentur, quia juxta stipendium & vocationem à Magistratu habent, eorumq; patrocinio fruuntur, ideo ad illos quoque pertinet, quod Paulus ait: *πᾶσα ἰσχύς* potestatibus supereminentibus subdita sit, Rom. 13. vers. 1.

Verbi verò ministri ecclesiæ præesse ordinati sunt, ibi habent suggestum, velut officinam suam, ex quo sedulo docere debent, est enim ministerium spiritus, non humanum opus, 2. Cor. 3. v. 6. His, qui in Magistratu degunt, non minus quàm plebei subiecti sunt, & spectat ad illos, quod Paulus ait: Obedite præpositis vestris, & parete eis, Hebr. 13. v. 16.

2. *Ratione titularum*. Magistratus appel-

lantur benefici & potentes, est enim à Domino potestas data, Sap. 6. v. 4. sed potestatem hanc misericordia temperare debent, ad exemplum Davidis, dicentis: Misericordiam & judicium cantabo, Psal. 101. v. 1.

Verbi verò præcones nihil aliud sunt, quàm ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. Vocantur quidem Dn. Reverendi, sed non ut dominantur in Cleris, 1. Petr. 5. v. 3. sed honoris ergò, quo titulo & olum Hanna Sacerdotem summum Eli insignivit, 1. Sam. 1. v. 15. Hinc Paulus: Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, 1. Tim. 5. v. 17.

3. *Ratione armorum*. Reges & Magnates terreni ad tutelam subditorum, tormentis bellicis, hastis & gladiis utuntur, sicut Rehabeam in singulis urbibus fecit armamentaria scutorum & hastarum, 2. Paral. 11. v. 12. licet enim victoria à Deo sit, tamen equus paratur ad diem belli, Proverb. 21. vers. ult.

Verum in Ministerio verbi spiritualia arma adhibentur. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, 2. Cor. 10. v. 4. Vide, Eph. 6. v. 14. & seqq. Armis his Christiani plus efficere possunt, quàm si Magnates terreni ingentes exercitus in aciem producant. Vivus enim est sermo Dei & efficax, &c. Hebr. 4. v. 12.

4. *Ratione statutorum*. Magistratus ejusmodi leges subditis præponere potest, quæ quidem cum verbo Dei non pugnant, attamen quoad omnes circumstantias ex eo probari nequeunt, sed præfenti statui attemperatæ sunt, ut repudium Reginæ Vasthi probat, Esth. 1. v. 19. Verum in statu ecclesiastico strictè verbo Dei inhaerendum est. Non addetis ad verbum, nec aufertis &c. Deut. 4. v. 2. Gal. 1. v. 8.

5. *Ratio-*

5. *Ratione suppliciorum.* Magistratus terreni vi corporali & gladio supplicia inferunt, non enim sine causa gladium portant, Rom. 13. v. 4. Verbi autem ministri neminem capite plectant, sed annunciant delinquentibus Dei iram & indignationem, si respicere nolint, tradunt eos Satanæ, 1. Cor. 5. v. 5.

Sed hoc ipso non planè à gratia exclusi sunt: verum per penitentiam expedire se rursus possunt, & ab exilio liberari, quasi torris, raptus ab incendio, Amos 4. v. 11. Dum enim hodie dicitur, gratiæ fores patent, Hebr. 3. v. 15.

Ex his omnibus elucet, quid de Romani Pontificis Dominatu sentiendum sit. Vocat se quidem servum servorum: cum tamen Imperatores, Reges, & Principes pedes ejus osculari teneantur, quinimò extollitur supra omne, quod dicitur Deus, 2. Thess. 2. v. 4. Hinc non habitat in ædibus sacerdotalibus, quæ Magistratus tutela subsint: sed Romæ, quæ caput orbis vocatur, ex qua potestatem, Imperatoribus, Regibus & Principibus præscribendi sibi arrogat; tum quoque aliquot secula hæcenus bella gessit. An verò hoc verbis his Christi consentaneum sit, facilè quilibet perspicere potest.

Nos Deo debitas gratias agimus, qui nos è Babel eduxit, & debitum Magistratui nostro honorem tribuimus, in medio fratrum, rector illorum in honore, & qui timent Dominum, erunt in oculis illius, Sir. 10. vers. 24.

II. *Tanquam humilitatis commendator.* Qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui princeps est, sicut ministrator.

Hoc non ita intelligendum est, quasi Magistratus aut etiam verbi Ministri, &

patres-familiæ, honorem, quem ab inferioribus ratione officii sibi deberi sciunt, planè repudiare, & cujusque pedibus se subjicere debeant. Minime. Potius locum habeat illud Pauli; Nemo te contemnat, Tit. 2. vers. ult.

Interea tamen & illi quos Deus super alios exivit, ortum suum meminisse debent, ut sicut Placilla Theodosio Imperatori subinde in memoriam revocabat, & ipsi perpendant, quinam olim fuerint, jam sint, & aliquando futuri sint. *Considera, inquit Bernhardus, unde venis, & erubescere, ubi es, & ingemisce: quò vadis & contremisce.* Unde venisti, nonne è terra? quid superbies? Ubi es, nonne in mundo, qui vallis lacrymarum est? quid exultabis? quò vadis? nonne in terram? quid gloriaberis? Si quis existimat, se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, Gal. 6. v. 3.

Agathocles Sicilia Rex, figuli filius fuit, ideoque semper juxta aurea vasa fictilibus quoque usus legitur, ne generis sui oblivisceretur.

Willigis Archiepiscopus Moguntinus ex plaustrario ad dignitatem hanc ab Ottone III. evectus est, qui propterea semper sibi acclamari jussit: Willigis, Willigis, recole unde veneris.

Hoc quilibet sedulò reminisci debet, ut humilis sit in oculis suis, quò gloriosior appareat in oculis Dei, 2. Sam. 6. v. 22.

Moses ignorabat, quod cutis faciei suæ splenderet, cum verò ab aliis certior redderetur, posuit velamen super faciem suam, Exod. 34. v. 29. 33.

Pari modo quilibet, si Deus in animâ suâ lumen sapientiæ & intelligentiæ accendit, idè non extollere se: sed potius vela-

mine humilitatis ea tegere eisque ad gloriam Dei & proximi emolumentum uti debet, ut Petrus jubet, 1. cap. 4. v. 10.

Hæc talis virtus est, quâ tota SS. Trinitas peculiariter delectatur.

Deus pater, quamvis altissimus sit, tamen humilia respicit, in cælo & in terra, Psal. 11. v. 6. Quod verò hominibus altum est, abominatio est coram Deo, Luc. 16. v. 15.

Filius Dei est Dominus Gloriæ, 1. Cor. 2. v. 8. cui gaudium propositum erat in cælo, Hebr. 12. v. 2. Verum nostri causâ servi formam induit, Phil. 2. v. 7. nec venit ministrari, sed ministrare, Matth. 20. vers. 28.

Deus Spiritus sanctus libenter habitat cum humilibus & modestis, unde & modestia fructibus ejus annumeratur, Gal. 5. vers. 22.

Simus igitur imitatores Dei, sicut filii carissimi, Eph. 5. v. 1. Ante ruinam enim exaltabitur spiritus, Prov. 16. v. 18. Sed via gloria, fuga gloriæ.

Quæris, inquit Augustinus, quid præcipuum Christianismi nostri sit? & sibi ipsi respondet: *Humilitas*. Quæris quid sequatur? Resp. *Humilitas*. Si plura quæris? iterum dico, *Humilitas*. Imò quoties quæris, ego respondeo: *Humilitas*. Humilitas initium, Humilitas medium, Humilitas finis est. Beatus, qui humiliatur sub potenti manu Dei, exaltabitur enim in tempore visitationis, 1. Petr. 5. v. 6.

III. *Tanquam perseverantia Coronator*. Propterea ait Servator ad Discipulos: Vos autem estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis.

Per tentationes has intelligit omnis generis tribulationes & molestias, quæ sibi

tempore Ministerii sui à Diabolo, & mundo illatæ erant, quâ in parte Apostoli ejus confortes, partem quoque suam fortiti fuerant. Idè eos publicè hic propterea prædicat, ad instructionem nostram, ut si genuini ejus discipuli esse velimus, itidem nullâ calamitate ab eo nos abstrahi patiamur. Qui enim perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit, Matth. 10. v. 22.

Rex Navarra sponsæ suæ annulum sponfalitium pro artha dedit, ornatum Adamante pretiosissimo, cui sol & luna artificiosè insculpta fuerunt, hæc cum inscriptione: Semel, simul, semper; quo innuere voluit, quod semel sibi invicem promiserint, firmissimè servatum iri.

Christus Servator noster in Baptismate nobis se quoque desponsavit, & nos illi, ideo baptismus vocatur stipulatio bonæ conscientia cum Deo, 1. Petr. 3. v. 21. quapropter per omnem vitam in memoria id habeamus, & Christo fideles simus usque ad mortem, & dabit ille nobis coronam vitæ, Apoc. 2. v. 10.

Caveamus verò, ne quicquam nos abstrahat à semel agnita veritate. Nemo enim mittens manum ad aratrum & respiciens retrò, aptus erit regno Dei, Luc. 9. v. ult. Patiendum & certandum est, si ad gloriam pervenire velimus, de quâ Christus hic ait: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeat is super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.

Hæc *Allegorica vita æterna descriptio* est, ubi electi accipient regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini, Sap. 5. v. 17. Servator eos ad mensam cœlestem adhi-

adhibebit, ubi comedentes saturabuntur, bibentes non sitient, & latantes non confundentur, Esa. 65. v. 13. Adhibebit sibi quoque eosdem ad flores, ut iudicium secum exerceant super angelos malos & impium mundum, 1. Cor. 6. v. 3. ita ut suffragio suo idem comprobent, dicentes: Justus es Domine, & iusta sunt iudicia tua, Psal. 119, 139.

Hoc solatium nostrum esto, in adversita-

tibus huius mundi, *Nubecula est cito transi-
tura* omnis afflictio: sed gloria quæ sequetur supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus erit, 2. Cor. 4. v. 17.

Id nobis omnibus ex gratia largiri dignetur Deus pater, per filium suum Jesum Christum, in Spiritu Sancto,
Amen.

In festo die B. Matthæi Apostoli.

Evangelium Matth. 9. v. 9. --- 13.

EXORDIUM.

CUm Angelus Domini Mosi appareret in flamma ignis, de medio rubi, cumque ducem populi Israelitici constitueret, & eum Ægypto educeret, præcepit illi: *Solve calceamentum de pedibus tuis*, locus enim in quo stas, terra sancta est, Exod. 3. v. 2. seqq.

Hæc mystice interpretabimur.

Nos omnes Mosi non dissimiles sumus, Moses enim idem est, quod extractus. Deus enim nos de ventre extraxit, Psal. 22. v. 10. & postquam in limo peccatorum ferme submersi sumus, Psal. 69. v. 3. filium suum misit, qui nos rursus extraxit, & populum sibi peculiarem constituit, Tit. 2. v. 14. ut non mori, sed vivere debeamus, Ezech. 16. v. 6.

Hæc nova vocatio est, qua vocati sumus. Ante enim natura eramus filii iræ, Eph. 2. 3. verum in baptismo foetus pangimus cum Deo, quod est stipulatio bonæ conscientie, 1. Pet. 3. v. 21. & in hæredes vitæ æternæ adoptamur, Tit. 3. v. 7.

Quemadmodum vero Mos calceamentum de pedibus tuis solvere tenebatur, cum accedere & cum Deo colloqui vellet: Ita & nostri officii erit, quia vocavit nos Deus, non in immunitiam, sed in sanctificationem, 1. Thess. 4. v. 7. ut digne Evangelio conversemur, ad *exemplum Mosi exuentes*:

1. *Calceos incredulitatis*, ne more hypocritarum confiteamur, nos nosse Deum, factis autem negemus, Tit. 1. v. 16. aut coram simulachris *myctis* inclinemur, 1. Cor. 12. v. 2. ligno dicamus: Expergiscere, surge, lapidi tacenti, Hab. 2. v. 19. ut in Papatu fieri amat: sed ad Deum verum & vivum confugiamus, quoties in calamitates incidimus, & vera fide promissioni ejus innitiamur, sicut Abraham credidit contra spem in spem Rom. 4. v. 18.

2. *Calceos impietatis*, ut declinato peccato, sanctitati studeamus, deponentes secundum pristinam conversationem, ve-

E c c e 3 terem